

IN
CANONICAS

APOSTOLORVM EPI-

STOLAS, D. VIDELICET IA-

cobi unam, D. Petri duas, ac D.

Ioannis primam, Com-
mentarij.

*

IO. BAPTISTA FOLEN-
GIO MANTVANO MONA-
CHO AVTORE.



VIRTVTE DVCN,

COMITE FORTVNA.

L V G D V N I , A P V D S E B .
G R Y P H I V M ,

1550.

Bayerische
Staatsbibliothek
MÜNCHEN

Stadtbibliothek
MUNICH

REVERENDIS

ERUDITIS' QVE MONACHIS

Eutychio Festino Abbati, Hieronymoq;

Syluae, suis in legatione ad Hi-

spanos monachos colle-

gis, Ioannes Bapti-

sta Folengius

S. P. D.



V' M duplex sit ratio in pri-
mis res sacras interpretan-
di, collegæ eruditissimi : ea
mihi semper uisa est cùm
excellentior, tum tutior, cu-
ius ductu pars illa animæ,
in qua amor uersatur, perfici solet, quām
illa qua acuitur intellectus, atque ad perue-
stiganda etiam ea nonnunquam, quæ sen-
sum humanum excedunt, incitatur. Tum
illud maximè me multum mouere solet, quî
fit interdum ut securiori omisso tramite in
illud potissimè incumbens, ferimurq; (ut
dicitur) & remis, & uelis, quo tanquam por-
tu adepto nunquam securus fit animus &
quietus. Sic est natura intellectus: secus uero
amoris. Sed de his postea in commentariis
ipsis, quos modo uestris auspiciis molimur,

nonnulla fusius. Faxit Deus, ut quæ diu ue-
stro hortatu in explicandis difficillimarum
rerum mæandris ac nodis, quibus Aposto-
lorum scripta passim redundant, parturio:
ea demum tanquā emisso fœtu aliqua cum
felicitate pariam. Cæterū tota mea hac
in re felicitas erit, si me scopum tam altum
abstrusumq; si non assecutum, at saltem af-
sequi uoluisse censemebunt homines, cona-
tumq; laudabunt. Atqui in literis profanis
solent docti nullum genus literarum, quod
quis suo (ut aiunt) marte minime cuderit,
approbare:iccirco commentaria omnia uel
fastidiunt: uel siquid in illis eruditè est di-
ctum, ut de multis legimus, eisdem tamen
ne mediocrem quidem locum concedunt
inter autores. Aliter autem in sacratioribus
commentandis literis æquiores sese exhibe-
bunt iudices: si ingentes, multaq; lucerna
elucubratas cùm Græcorum, tum Latino-
rum commentationes, in quibus maximo-
pere desudarunt, uoluere non pigebit. Illis
itaq;, qui tali utuntur iudicio adeo non af-
sentior:ut eos quoq; admodum errare exi-
stimem: quandoquidem sua primū serua-
ta Apostolis in scribendo & maiestate &
gloria,

gloria, proximum tenent locum ij, qui in commentandis eorum scriptis, dilucidandisq; mysteriis fidam operam nauant. Neq; id dico, optimi collegæ, quò me inter priſcos, sanctissimosq;,& graues,& doctos autores annumerari appetā: ausimq; inter olores uti anser improbus ad Mæandri ripas perstre pere: sed quò uos alioqui uiros prudentissimos minimè fugiat, me in studijs nequaquam nihili, ocijq; ignobilis uel calamum uel ingenium attruiisse meum. Multum sanè quidem referre arbitror, in quo quis gradu primum scalæ pedem defigat. Scalæ porrò cœlestis, quam à cœlestibus planeq; diuinis erectam esse Apostolis uidemus, uel ipsum ipsum gradum occupasse uiuacioris indicū est animi, gloriæq; splendidioris fundamen-
tum, quām illorum, qui in interpretando eruditissimo philosophorum omnium Platone supremum. Sed ad institutum redeo, rationeq; prius reddita, cur hunc mihi interpretandi difficillimarum rerum laborem, uel primus qui istuc egerim integrè, deſumpferim: quodq; ex me ſepiſſimè quæſiuistiſ, ad alteram descendam petitionem ueſtram, quæ talis fuit: Licerétnē monacho

literis operam dare simulatq; se Deo nudè
semelq;, addito etiam iuramento consecra-
rit , euulseritq; à mundi plausu , atque ijs
omnino rebus,quæ cùm bonę sint,animum
tamen à præstantioribus bonis auertere ,
sensimq; summouere uidentur : ut ferè sunt
literæ,earumq; tum usus tum studium. Aie-
batis enim , uos quodam in libello à Barbo
Veneto nostræ Reipubl.fundatore scripto
de monacho legisse quodam , qui cùm in
ipsis primis exordijs reformationis nostræ
letaliter ægrotaret , dira permulta prædixe-
rit , comminatusq; fuerit monachis illis qui
literas discerent, quasi una ea uel sola futu-
ra esset ratio , quamobrem uis tota religio-
nis infringi debuisset & extingui. Huiuscē-
itaq; difficultatis nodum ut potero explica-
bo. Sed prius ad primū,ad secundum post-
ea.Cùm igitur assiduis occupationibus,qui-
bus ob creditam mihi Bondenaciarum elec-
mosynarum dispensationem, grauem illam
quidem, & curarum plenam, distineor, illic
sæpe mihi esse necesse sit,quod otij tunc su-
pereft id totum succisiuis secūdarijsq; quasi
temporibus cùm ad legendum,tum ad scri-
bendum aliquid,quod mihi sit utile futurū,
impendo.

impendo. Quid, quæso, aliud à monacho
uel cessatore, uel in precarijs quoque istius
generis occupationibus districto peragi de-
bet? Ea quidem natura humani est ingenij,
ut nisi assiduè colas syluescat facile. Sed mi-
rum quām totus egomet mihi in omnibus
meis studijs displiceo, cùm autem scribo
placeo. Non quòd certe scripturam ipsam
meam talem eam quidem esse iudicem,
quæ aut me multum, aut alios oblectare
possit: scribo tamen exercitatione ipsa scri-
bendi contentus: nam id laboris genus,
quod mihi cum studiosis quāmplurimis
commune esse video, quoq; ego libentissi-
me utor, ad sedandas mei ueteris Adæ ap-
petentias, frænandasq; cupiditates, æquè
esse statui, atque è tuſſi antiqua laboranti
esse solet ecligma. Deuorent alij, per me li-
cet absque calamo quā suos quā aliorum li-
bros: ego uerò interim hisce meis delincto-
rijs non tam frequenter utar, quām mihi
interdum ex causis nescio quibus uberio-
rem illorum frequentandi usum intercifam
esse occasionem querar. Nihil profectò in
hac mea maximè præcipitata iam ætate
tam aueo, quām confirmatum tutumq; meç

quietis statum : qui quoniam uita hæc præ-sens rotæ instar uago perenniꝝ agitatur motu : hoc tamen minus fugari irrequie-taq; concitatur orbita, quod hi minimè de-funt, qui ut possunt, ita nihil potius habent, quām ut cuilibet quod illorum sit con-sen-taneum naturæ cùm attribuant, tum mo-dum rationemq; qua id commodius effici possit, peruestigat. Itaque commentariolos in diui Iacobi epistolam unicam & in diui Petri duas illas difficilimas inter pias Bon-denaciꝝ mei curas succisiuis (ut dixi) elucu-bratas horis ut potui perfeci: quām uerò feli-citer, ego mox uidero. Sed ad postremam nunc uenio uestræ petitionis partem, de mo-nacho illo, qui in extremo halitu uitæ pos-i-tus nonnulla præuiderit: horrida illa quidem & pauoris plena, in monachos uentura eos, qui literis operam dedissent. Ego sic uisum interpretor. Cùm quidem monachi finis sit in terris mors ea sensuum, quam parit odium tum sui tum mundi: illis omnibus, qui mortem istiusmodi felicissimam asse-quuntur, necessarium uidetur, ut impedimentis (cuiuscunq; tandem generis sint, quanuis ad speciem honestis ac utili-bus)

bus) abiectis, in Deum mortis huiuscemodi conciliatorem ullo absq; medio alio præterquam amoris ferantur. Studium certè literarium sobrium sumptumq; maturè & temperanter à monachis, quibus uia magis amoris usui esse debet, quàm intellectus, laudari solet à patribus illis nostris, atq; à nobis in primis, qui in spirituali harena planè attriti atq; exercitati facti sunt uelut arietes filiorum Dei. Ad quos sanè filios illud spectare arbitror, Afferete, inquit, domino filij arietum, afferete domino gloriam & honorem. Is porrò honor, is cultus, hæc gloria, ad animum potissimè refertur & integrum, & innouatum, & ob assiduas rerum diuinarum contemplationes, crebrasq; in perdiscenda Christi uita exercitationes feruidum, nudum, simplicem, suiq; semper haudquaquam dissimilem. Officiatne uerò tam sanctis conatibus, an utile sit studium nimis anxium literarum, hi bene norunt, qui uia paulum intellectus satis ex se arrogantis, atq; (ut dicere solet Polus grauissimus rerum istius generis disceptator) impudentis posthabita, illam quam terit amor peruigili sectantur studio. Ostensa

a 5 quidem

quidem uia qua iter est ad Deum amori , si-
stit se suis in finibus intellectus : amor au-
tem præteruolat , apprehenditq; dilucide
quod fuit ab intellectu ostensum & obscurè
& perplexè. Aiunt patres intellectum hu-
manum esse tanquam statuam Mercuria-
lem , quæ uiam ostendit , amore autem
uehiculum: qui amor iam premonstrati bo-
ni ardore accensus , præproperusq; quasi ef-
fectus quiescere nō uult quoad eius in ama-
ti sinum simpliciter sese insinuet : neq; sin-
gillatim interea quæ de Deo proposuit in-
tellectus peruestigat distinguitq; : sed actu
uno purissimo contentus in Christi amore ,
termino nimirum laborum nostrorum so-
poratur , requiescitq; , unius planè naturæ
cum suo amato effectus : more scilicet sur-
culi in arbore insecti , aut guttæ aquæ in
oceانum proiectæ. Atqui uiæ huiuscæ no-
bilissimæ amoris ueterum monachorum
uestigijs frequentatæ pertritæq; mirabiles hi
semper extitere fructus , pax mentis , quies ,
rerum caducarum despicientia , securitas .
Dei fruitio. Ab altera uero fermè (nisi dili-
genter caueris) prodire solet fastus , uani-
tas , uitæ spiritualis fastidium , amor pro-
prius ,

prius , ambitio , rabida scilicet illa feraq; af-
sequendorum honorum Erynnis , orexis'ue
& improba & detestabilis. Quæ profectò
omnia ueterum instituta ut fastidiunt , sic
fastidita & omittunt & oderunt. Ecquid?
Literas etiam sacras non suis cùm locis tum
horis amatas quæsitas'ue , tranquillitati,
ocioq; illi , quod ad monachos pertinere
diximus , utiles neutiquam esse , quis ex
nostris literarum studiosis non experitur?
Multo id magis de profanis fabulosisq; li-
teris , quas tamen mitioribus honestare so-
lemus titulis , censendum erit. Quæ certè
literæ tain aptè cōueniunt monacho, quām
boui conueniunt clitellæ , aut uro ephip-
pia aut phalerę. Vultis'ne dicam unico uer-
bo rei summam ? Monachus totus spiritua-
lis esse debet , atq; à mundi necessitudine
secretus. Ita requirit illius professio, ita soli-
tudo , ita ipsum nomen , habitus , uictus,
uocatio , & demum pollicitationes uel se-
questro iuramento factæ Deo. Ad literas
autem adire quò doctus habearis repute-
risq; , cura sanè ridicula est ac uana. Nec
est subinde uerendum de concilijs quin
optatum finem nanciscantur suum , nisi
monachi,

monachi , quorum præcipuum id esse debet studium , ut ad Christi pedes incogniti quâ sua , quâ aliorum fleant peccata intersint literati mitratiq;. Fingimus enim , formamusq; nonnunquam in nobis ratiocinationes nescio quas , specie quidem plausibles & gratiosas : sed quæ sensim à proposito fine nostros suffurantur animos. Amor quippe non tam literarum , quâm mundi huius impostoris obscœnissimi istius generis occupationes nostrum ad illudendum intellectum inachinatus est , atq; tam altè nostris inseuit animis , ut perpaucos iam inuenias , qui quorsum parentes ipsos suos charissimos , quorsum affines , quorsum amicos , quorsum patriam hisce omnibus iucundiorem reliquerint cogitent. Hæc omnia (puto) eò spectant , ut qui id audeant hi se mundo tum mori uelle attestentur , præq; se ferant sublimiorem se inquirere professionem : eam nimirum , quæ tota in caligine diuini amoris (sic eam appellat Dionysius) immersa , nihil approbat quod uel parum quidem à iam concepto sensu illo beatissimo & cœlesti mentem auocat & retardat. Id censeo illo in spectro præsensisse

sensisse ægrotum, cùm à perdiscendis literis deterruit monachos. Tantum uero abest ut supinos h̄ic monachos atq; inertes laudari opiner, (quis tales unquam laudaret stipites?) ut acutissimis eos etiam morsibus, dicterijsq; impetri debere iudicem. Nam à literis, quo ociosius pergræcari quis possit abhorrire, huic tam aptè Terentianum illud conuenire existimo, quàm quod aliud maximè falsè dictum. Caudex, stipes, asinus, plumbeus. Nihil sanè turpius inter homines cerni potest, quàm monachus qui utraq; sit orbatus disciplina: hoc est, cui neq; uia intellectus, neq; amoris est nota: quanquam posterior hæc simplici quæsita studio ac trita sufficere debet monachis. Quare quæcunque ab hoc nos itinere turbare possunt, aut abijcienda omnino sunt, aut delectu habito temperanda. Credo equidem diuinam eam de altari ex lapidibus incultis infabricatisque erigendo sanctiōnem futuros quoq; monachos spectasse, qui pretiosioribus mundi rebus calcatis, spretisque, puro, quasiue nativo affectu Deo litaturi erāt in spiritu & ueritate. Est & aliud animaduersum hac in re incommodum,

modum , ut ferè monachum illum morientem animaduertisse suspicer. Præuidit, puto , honio ille iam agens animam , idcirco purgatoris sensus , atque à crassioribus corporis uinculis propemodum liberi, genus istuc nostræ obseruantia (quod uocant) regularis qua maximè decor religiosis perornatur , à literarum studiosis facile contemptum iri : illosque non tam rem aliam detestaturos quam à literis auocari, quæ literæ totas sibi horas uendicare solitæ sunt : atque si secus accidat indignari, cauereque quantum possunt ac succisiuis; proindeque commoda corporea , delitias, immunitates , & demum quæcunque animi causa nancisci possunt undequaque uenari. An uero habita omnium ratione in locis id agi queat illis , in quibus communitatem , consociationemque uitæ unam ad omnes eiusdem collegij homines pertinere natura etiam ipsa rerum fatetur, difficile uidetur. Alia quidem res est cœnobia monachorum quempiam habitare uelle , alia literarum scholas. Verum quoniam absurdissimum esset statuere monachos post continuas in orationibus uigilijsq;

lijsq; , atq; illis tantopere necessarijs laboribus corporeis, exercitationes, nullo debere uti literarum studio. Dicam quod hac de re à doctissimo Polo accepi. Miles, inquit, Vegetum legat, Curtium, Liuum, Cæsarem: Medicus Galenum, Mesuen, Hippocratem: Orator Tullium, Platonē Academicus uoluit , Peripateticus Aristotelem : & demum quilibet eos legat libros & autores quorum præceptis ea in arte, ac quam profitetur disciplina fieri queat perfectus. Alioquin Euclidem non legat qui in re agraria nauticáue, aut piscatoria perdiscenda se exerceat. Sic monachus eos legat autores, qui de illius uitæ genere perscripsere, qui eiuscemo- di sunt efficaciæ ut animum planè quietum reddant & tranquillum: tantum abest ut aliquando , qui ita imbuti sunt monachi , sui eos status pœniteat, (ut permultos pœnitere cernimus) illisq; qui cum Paulo nihil se scire profitentur , præter Christum crucifixum, detrahant. Quam sancè notionem ineptus sim si putem nemini absque literarum linguarumq; uariarum præsidio posse contingere. Id quidem esset clientem patrono, non patronum clienti uelle opitulari.

Hæc

Hæc habui , collegæ doctissimi , quæ
de uiso illo terrifico , seu de uisi coniectura
sub ipso ferè Alpium transitu in Hispaniam
à uobis rogatus afferrem. Valete.